

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

## I. Übersetzung

### **Der Verfasser war auf Alexander den Großen zu sprechen gekommen.**

- 1 Tanti regis ac ducis mentio, quibus saepe tacitus cogitationibus volutavi animum, eas  
2 evocat in medium, ut quaerere libeat, quinam eventus Romanis rebus, si cum Alexandro  
3 foret bellatum, futurus fuerit.

### **Einen Vorrang des Feldherrn Alexander lehnt der Autor ab.**

- 4 Militaria opera pugnando obeunti Alexandro - nam ea quoque haud minus clarum eum  
5 faciunt - cessisset videlicet in acie oblatus par Manlius Torquatus aut Valerius Corvus,  
6 insignes ante milites quam duces, cessissent Decii, devotis corporibus in hostem ruentes,  
7 cessisset Papirius Cursor illo corporis robore, illo animi! Victus esset consiliis iuvenis  
8 unius, ne singulos nominem, senatus ille, quem qui ex regibus constare dixit unus veram  
9 speciem Romani senatus cepit! Non cum Dareo rem esse dixisset, quem mulierum ac  
10 spadonum<sup>1</sup> agmen trahentem inter purpuram atque aurum oneratum fortunae apparatus  
11 suae, praedam verius quam hostem, nihil aliud quam bene ausus vana contemnere,  
12 incruentus devicit. Longe alius Italiae quam Indiae, per quam temulento<sup>2</sup> agmine  
13 comisabundus<sup>3</sup> incessit, visus illi habitus esset, saltus Apuliae ac montes Lucanos cernenti  
14 et vestigia recentia domesticae cladis, ubi avunculus eius nuper, Epiri rex Alexander,  
15 absumptus erat.

- 16 Et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit.  
17 Qui si ex habitu novae fortunae novique, ut ita dicam, ingenii, quod sibi victor induerat,  
18 spectetur, Dareo magis similis quam Alexandro in Italiam venisset et exercitum  
19 Macedoniae oblitum degenerantemque iam in Persarum mores adduxisset. Referre in  
20 tanto rege piget superbam mutationem vestis et desideratas humi iacentium adulationes,  
21 etiam victis Macedonibus graves nedum victoribus, et foeda supplicia et inter vinum et  
22 epulas caedes amicorum et vanitatem ementiendae stirpis. Id vero periculum erat, quod

---

<sup>1</sup> spado = **Kastrat; Eunuch**

<sup>2</sup> temulentus = **berauscht**

<sup>3</sup> comisabundus = **schwärmend; in orgiastischem Zuge**

23 levissimi ex Graecis, qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriae favent,  
24 dicitare solent, ne maiestatem nominis Alexandri, quem ne fama quidem illis notum  
25 arbitror fuisse, sustinere non potuerit populus Romanus; et adversus quem Athenis, in  
26 civitate fracta Macedonum armis, cernente tum maxime prope fumantes Thebarum  
27 ruinas, contionari libere ausi sunt homines, id quod ex monumentis orationum patet,  
28 adversus eum nemo ex tot proceribus Romanis vocem liberam missurus fuerit!

## II. Sprachliche Erläuterungen

1. Herkunft des Textes?
2. Beurteilung Alexanders d. Gr. in der römischen Literatur?
3. Die Bedeutungen von **opus** sind zu entwickeln.